



O Risgon eorum populorum Princeps fuit, qui ex Gallia & Germania olim profecti, Galliam vastarant, atq; in Asiam trañcientes populos Theolostobogos, Trocinos, & Tectosagos condiderant. Is itaq; Antiochum contra Romanos pugnantē auxiliariibus copijs iuuit. Hinc factum vt Gneus Manlius Romanorum Consul Gallogræcos bello petierit, Anno mundi ter millesimo octingentesimo tricesimo, cum Hannibal ex Italia profligatus esset. Tum autem seditione inter Gallos orta, Epessognothus Princeps secessionis facta Romanorum partes secutus est, qui etiam suorum popularium consilia apperrens au-

thor fuit, vt Galli Theolostobogi ad Olympum cum Romanis congressi loco cedere coacti fuerint, atq; sese ad Tectosagos receperint. In eo conflictu capta fuit Origontis reguli vxor. Huic Centurio qui custodia captiuorum præerat ob insignem pulchritudinem stuprum intulit. Inde vt mœrentem illius animum leniret, auri talentum pactus, occultè se illam è custodia ad suos dimissurum pollicetur, fecitq; illi potestatem mittendi seruum in altera Gallorum castra, quæ ad decem millia passuum inde aberant, vt noctu duo ex necessarijs ad constitutum locum cum auro venirent.